

de seipso testimonium perhibet: Lex enī dei tanq̄ catena quē
 dam est continua ab eodem artifice fabricata: & quilibet anu-
 lorum alteri coheret: & quilibet prophe tarum de alio prophe
 tizat & meminit huius: & omnes propheticauerunt de chri-
 sto. Si igitur & Saracenorum lex/lex esset dei: & in hanc legē
 vocatio/non peruersio; sed conuersio esset: ut ipsi dicūt: quo-
 modo sic latuisset alios prophetas/ut nullus aliquid de eo ipso
 diceret? Nos enim nihil inuenimus Moysen/ vel alium quen-
 dam prophetarū/vel ipsum christum dicentes aliquid de Ma-
 hometo/vel de lege scđm eum: nisi quando dixit nos cauere
 a falsis prophetis. Dixit autem & christus usq̄ ad Ioannē legē
 esse & pphetas: ut mundus cognoscat/nullum post hac pphe-
 tam venturū: qui de aliquo qui venturus sit/sit vaticinaturus
 ad quem oportet omnes sperare. Mahometus autem uniuers-
falem seipsum dixit esse prophetam. Nos autem ignoramus
 si & propheta omnino est: scimus tamen q̄ nunq̄ talis; quidā
 seductor fuit in mundo in sic breui tempore/qui tot homines
 & populos sequaces sibi fecerit. Ad hoc autem respōdent Sa-
 raceni/dicētes Moysen & alios pphetas vaticinatos fuisse de
 Mahometo: Christus autem tanto clarius de eo vaticinatus
 est/ut & nomen eius diceret. Vnde dixit filijs Israel: Nuncio
vobis apostolum dei/qui veniet post me; & nomen eius Ma-
hometus: Sed iudei corruerunt Moysi legem & prophetas
 Christiani autem euangeliū: ut nihil veritatis in lege & euan-
 gelijs remaneret/nisi quantum est in Alcorano. Ostendā aut
 hoc esse incoueniens: & primū p Alcoranū. Dicit enī in capi-
 tulo de Iona: Si de q̄bus vobis reuelauimus/dubitatis: queri-
 te ab his/q̄ priusq̄ vos/librū legerūt. Qui aut ante Saracenos li-
 brū legerūt/xpiani sunt & iudei: q̄ pentatheucū susceperūt &
 euāgeliū: vt ipse Mahometus exponit. Is igit dicit Saracenis
 q̄rere a christianis & iudeis de rebus ambiguis. Quō aut rur-
 sus remisit hos Mahometus ad falsa testimonia si q̄dem verus
 fuit ppheta/ut dicūt: Nō igit tpe Mahometi xpianorū & iu-
 deorū libri corrupti erant: Sed neq̄ possibile est hoc dicere q̄
 post hec passi sunt corruptionem. Dicit enī in capitulo Ela-
 gar/qđ significat lapis: Nos (dicit ex persona dei) monitiōes
 dei fecim⁹ descēdere: & nos easdē seruabimus. Monitiōes aut

Matth. vii. b.

Matth. ii. b.

5-9

41

748